


A R T E S I A

C O M I T A T V S,

vulgo

A R T H O I S.



Artesia magna ex parte complectitur ejus gentis tractum, quem Atrebates tenuere, ab Atrebato ita dicti, ejusdem ditionis metropoli, quam Galli quidem vulgo *Aras*, Itali autem *Araxo*, Flandri denique

Atrecht appellant. Hæc terminos varie olim mutavit, & pro variis illis ac reciprocis inter Galliam, & hanc Belgicam motibus, modo latior ampliorque, modo contractior iterum atque angustior facta est. Termini hodie sunt, à Septentrione Flandria, à qua discreta est fluvio *Lysa*, & nova fossa, ad Austrum & Occasum Picardia, ad Ortum Flandria & ager Cameracensis. Regio peramœna est, ut quæ cœlum experiatur admodum clemens & temperatum; etiam feracissima omnium rerum, vino excepto, cujus causa est non tam soli vitium, quam incuria ac negligentia incolarum; tum quod regio Gallia vicina, bellorum periculis nimis exposita sit. Profert genus tritici laudatissimum, idque ea copia ac luxuria, ut affatim vicinis quoque provinciis Flandriae Teutonicae ac Brabantiae subministret, adeoque harum regionum horreum esse censeatur.

Termini.

Oppida.

Numerat Artesia oppida duodecim muris clausa, si accenseas *Rentæjum*, arcis magis, quam oppidi nomen tuens. Pagi sunt octingenti quinquaginta & quatuor, inter quos etiam superioribus & nuperis bellis plurimi miserè afflicti vastatique fuerunt à Gallis, qui etiam Atrebatum, aliaque oppida ceperunt.

Castellania.

Castellaniae in ea novem, *Atrebatensis*, *Audomarenensis*, *Morinensis*, *Ariensis*, *Hesdinensis*, *Lentienensis*, *Bapalmensis*, *Aveniensis*, *Bredenardensis*, & *Anguicensis*. Abbatia item complures, Cœnobia aliaque id genus collegia. Oppidorum primaria *Atrebatum*, *Fanum D. Audomari*, *Bethuna*, *Aria*, *Bapalma*: reliqua minora, *Hesdinum*, *Rentæjum*, *Fanum S. Pauli*, *Perna*, *Lilertium*, *Bassæa* & *Lendium*. Sunt deinde oppida pridem diruta *Teruanna* & vetus *Hesdinum*. Ordines hujus provinciae quatuor membris constant, Antistitibus nempe, Capitulis, Nobilibus, & primariis urbibus.

Atrebatum.

Atrebatum, *Arras* ad *Scarpam* fluvium situm est, speciemque refert duarum urbium, quarum

alteram vocant *La Cité*, estque juris Episcopalis, alteram *La Ville*, estque juris principalis. Illa minor est, sed amœna, propugnaculis fossisque munita, habetque templum cathedrale, sacrum B. Virgini. Præterea Bibliothecam manscriptorum librorum omnis generis, sed potissimum Theologici. Primus hujus Ecclesiae Præsul D. Vedastus fuit, institutus à Sancto Remigio Archiepiscopo Rhemenfi, ann. 531; sed adjuncta est deinde Atrebatensis Ecclesia Cameracensis, & duo illi Episcopatus in unum conflati, ita ut eminentiore illa dignitate diutiuscule civitas ista careret. Sed cum stetissent postea Cameracenses à partibus Imperatoris Henrici IV, *Urbanus secundus*, vindicando ex parte ac puniendo huic delicto, civitatem Atrebatensem in episcopalem pristinam dignitatem restituit, & Episcopum ei dedit *Lambertum Archidiaconum Morinensem*, anno 1095. Præsulem sub initia Belgicorum motuum habuit *Antonium Perrenotum*, postea Cardinalem *Granvellanum*, virum magnæ olim apud *Carolum V*, Imperatorem dignitatis. Cui successit *Franciscus Richardotus Burgundus*, quem excepit *Gulielmus Moulartius*. Est autem Episcopus Atrebatensis & politicus simul, & ecclesiasticus Dominus civitatis, cui non jura minus & leges, quam Magistratus attribuit; superiorem tamen agnoscens Artesia Comitem, penes quem est ipsius electio, sicuti confirmatio penes Romanum Pontificem. Gaudet Episcopatus hic annuo quatuor, quinque, vel & sex millium scutorum censu, pro uberiore videlicet, vel parciori segetis proventu. Adservatur in dicta æde B. Virginis magna imprimis religione, & miris gemmarum divitiis involutum, ceu dignissimum quoddam cimelium, certum genus mannae, lanæ propemodum speciem referentis: quam pluisse in hac regione suo ipsius ævo in epistolis narrasse scribitur D. Hieronymus. Ea populo magna solennitate palam exhibetur spectanda, maxime cum post longos cœli ardores ac agrorum siccitates pluviam implorant agricolæ. Altera pars Atrebatum *La Ville* dicta, amplissima est, & tum situ, tum opere, muris scilicet, propugnaculis, ac latis profundisque fossis, etiam aquæ expertibus, usque adeo communita, ut non nisi diutina aliqua obsidione frangi & expugnari posse credatur. Vias habet admodum latas: forum spatiosissimum & eximie pulchrum. Habet item augustissimam illam & opu-